



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ad annum Christi 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118618

§. 34. Sabaudi Oratoris adventus ad Concilium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66653)

Sæcul. XVI.
A.C. 1563.

§. XXXIV.

*Sabaudi Oratoris adventus ad
Concilium.*

Pallav. l. 19. c. 15. n. 1.
Psalms. p. 367
Raynald. hoc ann. n. 14.
Accessit feria secunda die vigesima sexta Januarii Concilio novus Orator, qui ad sedandas perturbationes haud parum contulit (*). Erat is Marcus Antonius Bobba Episcopus Augustensis in Pedemontio, ac postea Cardinalis, qui nomine Emanuelis Philiberti Sabaudicæ Ducis huic Concilio aderat: porro ob illius adventum rursus habebantur Congregationes, ipse vero in illa, quæ die trigesima prima Januarii celebrata est, excipiebatur: Hic, uti Virodunensis Episcopus in suis hujus Concilii actis refert, unacum Episcopo Gebennensi Francisco Bachordio, Sabaudo, venit Tridentum, cui Episcopi Galli cum multis Italis Patribus obviam iverunt, eundem perhonorifice excepturi: cum autem ad Synodum admitteretur, orationem habuit cum

(*) Pallavicinus, ex quo Continuator hæc defloravit, ita scribit. *Accessit ea tempestate Concilio novus orator, qui non modo nihil perturbationis attulit, ut plerique solebant, sed sæpe profuit ad sedandas perturbationes excitatas ab aliis. Fuit hic Marcus &c.*

cum summo applausu exceptam, ubi datum est negotium, ut eidem responderet, Bartholomæo Serigo Castellana-
tensi Episcopo, eo quod is, qui ad hoc munus erat destinatus, ægrotaret.

Sæc. XVI.
A. C. 1563.

§. XXXV.

*Lancellotus Augustæ Tridentum re-
versus unacum Lunensis Comitibus
responso.*

Interea die vigesima tertia Januarii Lancellotus, qui Augustam a Legatis ad Comitem Lunensem pro accelerando ejus accessu ad Synodum missus erat, rediit, retulitque Legatis, quod hic Comes post exhibita amoris, studii-
que officia libere dixisset, non licere sibi eo accedere, nisi prius aut certus redderetur de loco pro sua dignitate obtinendo, aut peculiare mandatum acciperet a Rege, vi cujus locum aliis, quam Cæsaris Oratoribus cedere juberetur, nam post hos proximam sibi sedem deberi contendebat. His addebat Lancellotus, quod ad mutandam Comitibus sententiam prorsus nullam vim haberit id, quod eidem proposuisset de literis a Rege suo ad Papam desuper datis.

Pallav. c. 15.
n. 1.

Legati, cum hujus Oratoris adventum percuperent, Cardinalem Lotharingium